



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titvlvs. XLII. De Baptismo & ejus Effectu.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

*Concilium imposta aut in limine fundationis: sed pro his omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis ad Sedem Apostolicam recurratur, qua, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in domino expedire arbitrabitur: alioquin reductiones, moderaciones & commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decrevit.*

83. Verum decretum hoc ex toto non ubique observari, sed Consuetudine ei alicubi derogatum, cum Garcia cit. p. 7. cap. 1. n. 132. advertit Palao disp. unic. cit. p. 15. n. 4. eique contrariam Germaniæ nostræ praxin esse, observat Gobat cit. n. 591. ubi inter facultates, quas Vicariis suis generalibus Episcopis Con-

stantiensis concedit ex *Consuet. Synodal. p. 1. tit. 9. n. 21.* eam refert, in *Amis. versariis vel beneficiorum fundationibus Missarum vel etiam prebendarum numerum augendi vel minuendi.*

Huiusmodi autem contrariâ praxi seu Consuetudine quadraginta, arg. c. De quarta 4. & c. Ad aures 6. de Prescript. imò decem duntaxat annis sine interruptione continuatâ, sicut Legibus Ecclesiasticis aliis, sic etiam cap. 4. cit. decreto istiusque declarationibus derogari posse, arg. can. Consuetudinis 4. disp. 11. c. fin. de Consuetud. & l. Duntaxat 33. ff. de LL. cum Malcardo de Probat. conclus. 424. à n. 24. & aliis defendunt Suarez Lib. 7. de LL. cap. 8. n. 7. & Card. de Lugo disp. 7. de l. & l. f. 6. n. 54.



## TITULUS XLII.

### De Baptismo & ejus Effectu.

#### SUMMARIUM.

- |   |   |
|---|---|
| 1. Notatio & definitio Baptismi.  | 10. Eamque aliquando approbationem                                  |
| 2. Materia ejus Remota est aqua naturalis, apta ad abluendum.           | 11. Et sub conditione repetendum, assensuum verior Opini.           |
| 3. Proxima ipsa per aquam ablutio:                                      | 12. Forma consistit in verbis, aliter in Latina,                    |
| 4. Quâ trinitâ vel unicâ duntaxat,                                      | 13. Aliter, eodem tamen sensu, in Græca Ecclesia prolata.           |
| 5. Et quâvis parte corporis factâ Baptismus validè confertur:           | 14. Eâ exprimentâ sunt persona & status baptizantis,                |
| 6. Dummodo facta sit tacitè successivè.                                 | 15. Persona baptizati,  |
| 7. In aquam projecto infanti Baptismus validè confertur.                | 16. Et invocatio Dei Unius ac Trinitatis                            |
| 8. In eam licitè non projicitur.  | 17. Hujus expressionem de Baptismi substantia esse negantium,       |
| 9. Ejus collationem per aquam in uterum immisam simpliciter damnantium, | 18. Verâque id asserentium,   |
|   | 19. Et verba in quavis lingua omnibus aequè nota exigentium, Opini. |
|   | 20. Bapti.  |

20. Baptismi capax est omnia & solus homo viator, nondum baptizatus,
21. Etiam infans, furiosus, amens:
22. Nisi hi, cum uerentur ratione, eum non postulassent.
23. Non valet invito:
24. Metu coactio, & iniuriis parentibus collatus valet.
25. Parentum infidelium altero tantum licitè:
26. Utròque invito eorum liberis illicitè confertur:
27. Nonnullis casibus exceptis.
28. Baptismus regulariter ab Episcopo, Parochis &c.
29. Et in Ecclesia, non in privatis adibus, est conferendus.
30. Ritus collatus tres effectus habet.

Sacratissimo Sacrificio seu Eucharistiæ Consecrationi, omnium maximè venerabili, subjicitur Baptismus, ad æternam salutem consequendam omnium maximè necessarium Sacramentum.

1. Nomine autem Baptismi, sic dicti à Græcico verbo βαπτίζω, abluentis vel immergentis actione denotante, hic intelligitur Sacramentum Regenerationis per aquam in verbo vitæ; ita enim definitur Catechismi Romani p. 2. cap. 2. juxta Evangelicum illud, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, Joan. cap. 3. v. 5. eique consonum illud Apostoli, Mundans Ecclesiam lavacro aquæ in verbo vitæ. Ephel. cap. 5. v. 26. Quæ definitione hujus Sacramenti Materia per Aquam, Forma per Verbum denotatur: ut luculenter insinuat S. Augustinus, cujus dogmatica sententia est, Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, can. Detrahe 1. q. 1. & c. Non ut opponeres 5. hâc Rubr.
2. Non malè tamen DD. inter ejus Materiam duplicem Remotam & Proxi-

am distinguunt: & Remotam quidem asserunt esse aquam naturalem, sive elementarem aptam ad abluendum, sive ea fluvialis, fontana, pluvialis aut marina, calida aut frigida, pura vel turbida sit: esto apta non sit ad bibendum, S. Thomas 3. p. q. 66. art. 4. non tamen contracta in glaciem aut nivem, nisi resolvetur; quia talis, licet elementaris quoad substantiam, apta tamen non est ad lavandum vel abluendum, Suarez in 3. p. disp. 20. s. 2. n. 5. & Laiman Lib. 5. tract. 2. cap. 3. n. 1. Contrà saliva, sudor, lacrimæ, urina, rosacea & similes aquæ destillatæ, aut ex fructibus, herbis vel radicibus expressæ: resolutæ ex sale: cerevisia & juscula bene decocta, Remota Baptismi Materia non sunt, arg. c. Non ut cit. quia, licet ad abluionem non ineptæ, aquæ tamen naturales sive elementares secundum communem existimationem & usum non sunt, cit. S. Thomas art. 4. Suarez sect. 1. & Laiman n. 1. quibus tamen in extrema necessitate utentem non damnandum censet Coninck p. 3. q. 66. art. 4. quòd hujusmodi necessitas dubiæ materiæ usum, aliàs illicitum, cohonestet.

Hanc autem sive Proximam Baptismi Materiam statuunt ipsam abluionem per aquam, juxta illud, Mundans lavacro aquæ, v. 26. cit. quòd ea per formam, sive hanc constituentium verborum significationem denotetur ac determinetur; quia verba, Ego te baptizo, proximè non ipsam aquam, sed quæ per istam fit, abluionem, immersionem, asperisionem vel effusionem in corpus significant ac determinant, ex S. Thomæ q. cit. art. 1. aliorumque TT. sententia apud Palao Tract. 19. disp. univ. p. 4. n. 11. Ubi

Dubium & controversia fuit de numero immersionum, abluionum &c. Trina enim præcò Ecclesiæ usu, SS. PP. complurium sensu & Traditione Apostolica:

Q 99 9 3

stolica:

stolica: imò ipsius Servatoris præceptò disertè exigi videtur *can. Si quis Presbyter 79. can. Eòdem 81. can. Multi 82. Sc. dist. 4. de Consec. c. 1. hâc Rubr. cum, ut tridua Christi Domini sepultura expressiùs, & SS. Trinitatis mysterium non verbò, sed ipsò etiam trinæ immerfionis factò significaretur: tum verò & præcipuè; ut Eunomitarum iisque affinium Hæreticorum, unicam immerfionem in nomine Christi, reliquis SS. Triados Personis exclusis, faciendâ assententium, error contrariò Ecclesiæ usu damnatus conveleretur. Cum tempore tamen abolitò illò Eunomitarum, sed novò Arrianorum, trinâ immerfione ad Divinarum, sicut Personarum, sic etiam Naturarum Triadem demonstrandam abutentium, errore in Hispania invalescente, à Gregorio M. *can. De trina 78. & à Concilio Toletano IV. can. Propter 83. dist. cit. relatis sanctum est; ut in illius regni provinciis Baptismus immerfione unicâ administraretur. Unde TT. & Canonistarum doctrina constans est, ad Sacramenti istius valorem nihil interesse, an trinâ vel unicâ immerfione, ablutione vel asperfione administraretur: licet; ut ejus administratio licita sit, cujusque Provinciæ vel Ecclesiæ Consuetudo sit observanda, ut insinuatur *can. De trina cit. & cum Panormit. in c. 1. cit. n. 4. advertit Laiman cit. cap. 3. n. 4.***

Neque, sicut trinæ immerfioni favet, sic ejus necessitatem persuaadet; quòd ejus usum ex præcepto Domini vel saltem Traditione Apostolica provenire, asseratur *can. Si quis cit. & aliis pro ea allegatis; quia Divinum præceptum non extat de ea, sed tantum de expressa SS. Trinitatis invocatione: ad quam proinde *can. Multi cit. relata Pelagii Papæ sententia & Domini præceptum sunt referenda, nihil obstante *can. Si quis cit. quia Apostolicò hòc***

canone solummodo damnatur error eorum, qui Baptismum conferebant immerfione unicâ cum expressa, non SS. Trinitatis, sed Mortis Christi invocatione: quæ sola, non etiam unicâ immerfionis usus Divino præcepto adversatur. Traditio autem Apostolica de trina immerfione quidem fuit: at non ex Divinis, sive quas ex Christi ore Apostoli exceperunt: sed Ecclesiasticis duntaxat, sive ex iis, quas ipsi tanquam Ecclesiarum Rectores & Pastores constituerunt, vel usu introductas reliquerunt. Quæ, cum merè Ecclesiasticum & humanum Jus sint, potest ut alii Ecclesiæ canones & Consuetudines mutationem admittunt, *arg. c. Alma 24. pr. de Sent. excom. in 6. Gonzalez in c. 1. cit. n. 2.*

Dubium secundo est de parte corporis, aquâ abluenda, aspergenda & trappitis quidem tanquam partis illius principalis, uti & scapularum, humerorum, pectoris, brachiorum ablutione Baptismus validè conferri, satis certa est sententia DD. Anceps autem, an manus, pedis, aut alterius similis partis, vel capillorum & pellis secundinæ solus ablutione validè administraretur; cum id nequa ex sacris Literis neque ex Ecclesiæ Traditione satis constet. Unde Baptismus, sicut cum aliter potest, hujusmodi duntaxat partis alicujus ablutione illicitè, sit necessitatis casu urgente, licitè conferri, sublarò tamen periculò sub conditione repetendum, monent *citr. Laiman cap. 3. n. 3. & Palao p. 4. à n. 6. cum, quoties valeret dicitur, ita repetendus sit, c. De quibus 2.*

Ut autem Baptismus etiam in capite, scapulis &c. validè administraretur, satis non est; ut ea quavis etiam minima aqua particulâ solummodo attingantur: sed exigitur; ut ea aqua quantitate saltem modicâ immediatè & contactu successivò tangantur; cum sine hoc baptizatus seu

Iotus propriè non dicitur, Suarez *cit. f. 2. à §. Deinde, & Palao cit. n. 6.*

- Sicut minimè particulæ aquæ solò tactu, sic etiam immersione in aquam sine emersione; ac proinde in flumen projecto infanti & ejus aquis suffocato baptismum validè conferri posse, negant Scotus in 4. *dist. 5. q. 3.* Sylvester V. *Baptismus 4. n. 8.* & quidam alii, eà ducti ratione; quòd ablutio ad eum, qui baptizatur vivificandum: hujusmodi autem immersio potius ad eum occidendum ordinetur: & solum Christi Mortem, non instar veri Baptismi, etiam Resurrectionem repræsentet, *can. de Trina cit.* Contra multò frequentiori calculò alii cum Panormit. in c. *Non ut 5. n. 4.* Suarez *cit. disp. 20. f. 3. §. Una* & Vasquez 3. *p. disp. 145. cap. 5.* infanti aquæ immerso, etsi ex ea non emergat, baptismum validè conferri, docent; quòd, cum tali casu infans aquà tangatur motu successivò, ablutio, quæ Proxima hujus Sacramenti Materia est, non desideretur & perficiatur, antequam infans vel ex aquis educatur vel in iis moriatur; ac proinde adhibita SS. Trinitatis invocatione validè baptizetur & consequatur vitam animæ spirituales, ad quam Baptismus ordinatur: & quia peccato mortuus Christo vivere incipit, veterem Adam sepultò, inducat novum; itaque Christi non Sepulcrum duntaxat, sed Resurrectionem quoque repræsentet, ut præter alios doctè observat Palao *cit. p. 4. n. 10. & 11.* Quæ posterior Opinio, licet autoritate & ratione potior sit, ejus tamen usus licitus non est; cum casus, quò is medium ad salutem necessarium sit, vix appareat: & si eveniret, ejus usu innocens, quod nullò casu licet, directè occideretur.
9. Dubium tertio est de Baptismo infantis, nondum editi in lucem. Non quidem, si pars aliqua corporis extra ute-

rum maternum extendatur; in hac enim eum baptizandum, convenit inter DD. sed, si ille intra uterum totus contineatur; hòc enim casu administratio Baptismi, aquà per fistulam aut aliud instrumentum in uterum infusà, magnis DD. relatis à Comitolo *Lib. 1. Respons. q. 13. n. 2.* & huic etiam displicuisse, perhibetur à Pignatello *Tom. 1. Consult. 153. n. 5.* & non obscurè rejicitur *can. Qui in matris 113. dist. cit.* quòd, ut textus habet, *Qui natus adhuc secundum Adam non est, secundum Christum non possit regenerari;* cum regenerationem ut generatio præcedat, necessarium: & Regulæ instar sit, eum, qui natus nondum est, non posse renasci. Accedit; quòd non appareat, quæ ratione perfici ablutio sive aqua immediate & successivè pertingere valeat ad factum, in utero tot involucris & secundinis circumseptum.

Nihilominus vicinò & desperatò partu, etiam hanc Baptismi administrationem probant magni nominis TT. apud Dianam *Tom. 2. tract. 15. resol. 43.* & Pignatell. *l. cit. n. 6. & 7.* Ratio, quæ moventur, est; quòd infans in utero sit subjectum hujus Sacramenti capax; cum sit homo non baptizatus: & quia vicinus est editioni ex utero, hunc aperire & erumpere nitatur; ut ab obstetrice infusà aquà immediate & successivè contingi & abluji possit; ac proinde, si debita forma & ministri intentio accedat, ad baptismi valorem nihil desideretur.

Neque verum est; quòd uterò maternò clausus, natus non sit secundum Adam, & propterea nequeat renasci; cum enim nativitas, à qua per Baptismum renascimur, sit illa, quæ in Adam nascentes contrahimus peccatum Originale, secundum Orthodoxos omnes & Trident. *Sess. 5. Decretò de Peccato Orig.* in Adam autem nascamur & peccatum illud generatione in

tione in utero contrahamus, antequam ex illo in lucem edamur, per Baptismum regenerari infantes, licet Ordinariè non soleant, antequam geniti sint ex utero, absolute tamen etiam poterunt, qui in utero geniti sunt; quia tales in SS. Literis etiam nati dicuntur, juxta illud, *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*, Math. cap. 1. v. 20. & 1. *Qui in utero 7. ff. de Statu hom.* quâ is, qui in utero est, pro nato habetur, quoties de ejus commodo agitur, ut eruditè discurret Pignatell. à n. 15. & 24. Unde commodam explicationem admittit *can. Qui in matris utero*, qui inde etiam non urget; quod in Decreto non ex alicujus Concilii decreto vel rescritto Apostolico, sed ex Isidori *Sent. Lib. 1.* Canonicam autoritatem non habente, fuerit translatus: eoque, infantem simul cum matre aquâ abluta baptizari non posse, asseratur.

Non magis urget Missale Roman. *In utero matris clausum baptizari* vetans; quia exaudiendum est de fœtu editioni non vicino: non de eo, qui huic jam propinquus egredi nititur; cum enim iste uteri ostium soleat aperire, ut aqua infusa ad eum pertingere, ejusque corpus manibus tangi valeat; ut ab obstetrice extetur, non apparet, cur non valeat & in necessitate non debeat baptizari: licet casu, quò post talem baptismum saluus editus, baptismus sub conditione repetendus sit, *arg. c. De quibus cit.*

12. Forma Baptismi Ecclesiæ Latinæ usu recepta est, *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen*: quæ desumpta est ex Math. cap. 28. v. 19. & refertur c. 1. hâc Rubr. à Concil. Florent in Decreto Eugenii §. Primum & à Trident. Sess. 7. cap. 4. Ratio ejus ita institutæ à S. Thoma cit. q. 66. art. 5. Laiman, *Tract. cit. cap. 4. n. 1.* & aliis

redditur; quòd, cum per Baptismum efficiamur Christiani & Ecclesiam Catholicam ingrediamur, eum ita suscipiendos, Deum Trinum & Unum, Catholicæ Fidei mysterium præcipuum, in ejus ingressu profiteamur.

Eodem sensu, sed non iisdem verbis initialibus in Ecclesia Græca, Sacramentum hoc administrans, *Baptizetur in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*: quâ etiam veram Baptismi formam esse, farentur omnes; quòd et ipsius etiam baptizati persona & actio baptizandi sufficienter significatur, hoc ipso; quòd verba illa cum abluendi sine immergendi actione, à proferente polita, conjungantur; ac proinde ad Baptismi Formam requisita omnia concurrant.

Forma enim hujus Sacramenti, ut 14. valida sit, ex communi D. sensu quæritur & primò quidem exprimere debet personam baptizantis, saltem implicite: ut in dicta Græcorum & Latinorum etiam cederet, si minister verba, *Te baptizo &c.* proferret, pronomine *Ego* omisso; quia hoc verbi illius significatio includitur & satis probabiliter etiam, si dicat, *Baptizetur Christus* vel *baptizetur à Christo &c.* quia ista etiam, baptizantis sine abluendi actione accedente, ministri persona sufficienter exprimitur: cum hoc ipso, quòd potestate à Christo delegatâ baptizat, significet; quòd Christus per ipsum tantquam ministrum baptizandi actionem exerceat, Sotus in 4. disp. 3. q. 1. art. 1. cit. Suarez disp. 21. f. 2. concl. 2. Laiman cap. 4. n. 1. §. Quapropter & alii contra Vasquez cit. disp. 142. cap. 2. n. 19.

Secundò Baptizantis actio, §. Primum cit. & c. 1. hic: cuius textus est, *hoc est, quis puerum in aqua merserit, hoc est, immergendò dixerit, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti Amen: Quoniam dicitur, Ego te baptizo in nomine &c.* non potest

per baptizatus. Rationem, vel potius congruentiam reddit Laiman *cit. n. 1.* quod baptizantis actus sit ipsa ablutio: quæ eum sit Materia proxima, per Formam determinari & significari debet.

15. Tertiò persona baptizanda: ut à Christo non obscurè insinuat verbis, *Baptizantes eos &c.* Matth. *cap. 28. v. 19.* & à Florent. clarè traditur *g. Primum cit.* Cujus ratio est; ut appareat discretio personarum inter baptizantem & baptizatum; cum nemo baptizari valeat à seipso, *cit. S. Thomas q. 66. art. 5. Suarez concl. 3. Laiman. n. 2.* & alii, propterea pro nullo habentes Formam, *Ego baptizo in nomine Patris &c.* pronomine *Te* omisso.

16. Quartò & præcipuè Unitas & Trinitas Divinitatis, Matth. *v. 19. cit. c. 1. cit. & c. 1. de Summa Trinit.* ut Baptismus, sine sanctissimæ Trinitatis clarè & expressè invocatione collatus, omninò invalidus sit. *can. Si revera 28. & can. In Synodo 81. dist. 4. cit.* cujus expressionem requirendi ratio fuit; ut, cum Baptismus Sacramentum Fidei & janua sit, per quam ingredimur Ecclesiam Christi, in ipso in hæc introitu Christianæ Fidei mysterium præcipuum doceamur & confiteamur.

17. Ejus tamen ita expressè invocationis necessitatem admodum ancipitem reddidit *can. A quodam Judo 22. dist. cit.* ubi relatò Nicolai I. ad Bulgaros responsò sustinetur Baptismus collatus, *In nomine sanctæ Trinitatis* unitate Dei non expressè: vel tantum *In nomine Christi*, more Apostolorum, qui *In nomine JESU* baptizasse Act. *cap. 2. 10. 11. & 19.* perhibentur, & Servatoris ac Magistri sui mandatum prævaricati utique non sunt. Quò eorum factò ductus S. Bernardus, Baptismus, puero in mortis periculo, *In nomine sanctæ & veræ Crucis* collatù, pro vero habet *Epistol. 340.* Unde verus multò magis erit collatus explicitè *In no-*

*mine Dei vel Patris aut Spiritus sancti & præsertim In nomine SS. Trinitatis.*

Maxima hæc autoritas non paucos DD. & Ecclesiæ PP. aliquos in eam sententiam abduxit; ut, SS. Trinitatis expressam invocationem ad Baptismi substantiam pertinere negarent. Apud alios id saltem potuit; ut, licet ex Christi institutione SS. Trinitas expressè invocanda sit, ex dispensatione tamen Divina ab Apostolis Baptismus sine ea in solo JESU nomine valide collatum, cum SS. DD. Angelico *cit. q. 66. art. 6.* & Seraphico *in 4. dist. 3. q. 2. art. 2.* assererent.

At multò veriore & crebriore calculò alii expressam Personarum Divinarum invocationem Baptismo essentialem, cum SS. DD. *cit.* & Bellarmino *Lib. 1. de Baptismo cap. 3.* & ab Apostolis etiam adhibitam, docent cum *cit.* Suarez *disp. 21. s. 3. §. Superest & Laiman cap. 4. n. 3. §. Atque hæc.* Priorem partem desumunt ex verbis *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, Matth. *cit. v. 19.* quibus hujus Sacramenti Formam à Christo traditam, colligitur *ex can. Si revera & can. In Synodo cit.* Posteriorem ex Actorum *cap. 19. v. 2.* ubi S. Paulus ad suam interrogationem, an Spiritum sanctum accepissent per impositionem manuum alienjus Apostoli, reponentibus, *Sed neque, si Spiritus sanctus est, audivimus*, miratus ait, *In quo ergo baptizati estis?* Baptismò tantum Joannis? an Christi? insinuans; quòd, si istò baptizati fuissent, necessario Spiritum sanctum, ex ejus institutione cum Patre & Filio exprimendum, jam audivissent. Unde cum Apostoli *In nomine Domini JESU* baptizasse asseruntur, sensus est, Baptismus ab ipsis collatum secundum Domini JESU institutionem Matth. *cap. 19. v. 19. cit.* ac proinde cum Divinarum personarum expressa invocatione, ut

R r r r

tione, ut

tione, ut verba illa S. Cyprianus *Epistol.* 73. *Peda Var. q. 14.* & alii exponunt apud Raynaudum *Heteroclyt. Spiritualium S. 1. p. 1. §. Ex eadem.*

19. Magis urget & Interpp. torquet *can. A quodam cit.* Ex variis, quos excogitarunt, verisimiliores sunt expositiones duæ. Una Soti *in 4. dist. 3. q. unic. art. 6.* & Suarez *disp. 21. s. 3. §. Ad decretum*, qui eò à Nicolao Papa non agi, nec probari volunt, Baptismum collatum, omni-  
sà expressà invocatione Patris & Filii & Spiritus sancti esse validum: sed eum duntaxat, quò secunda Trinitatis persona non Filii sed Christi tantum nomine est expressa; quò modò etiam intelligit S. Ambrosium *can. cit.* allegatum cum aliis locis, quibus Baptismi Formam esse ait, *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Lib. de SS. Sacramentis.* Altera Cani *de Locis Theolog. Lib. 6. cap. 8. ad 7.* & Azor *p. 2. Instit. lib. 5. cap. 5. q. 3.* ubi ajunt, *can. cit.* Nicolai intentionem solum fuisse respondere interrogantibus, an valeat Baptismus à Judæo vel Pagano collatus: eumque, si ab his secundum Christi institutionem conferatur, non repetendum; ac proinde directè tantum respondisse, eum validum esse. Quoad alterum verò nihil definivisse: sed in re controversa Pelagii & Zachariæ, SS. PP. *can. Si re vera & can. In Synodo cit.* trium Personarum expressam invocationem exigì sine definitione docentium, Opinioni contrarium, ut privatum Doctorem, tenuisse. Quam expositionem cæteris meliorem existimat Suarez *l. cit.*

Non minor controversia dubiumque est de Baptismo collato verbis, *Ego te baptizo in nomine Genitoria, Genis & præcedentis ab utroque.* Quem validum esse, satis probabiliter aliqui affirmant, Alii multò communiùs & verius negant cum SS. DD. Angelico *est. q. 66. art. 5.*

& Seraphico *in 4. dist. 3. art. 2. q. 3.* cum quòd eam Formam sufficere, neque ex institutione Christi, neque ex ulò Ecclesiæ aut fidelium sensu habeatur: tum verò quòd, cum Baptismus sit Sacramentum Fidei, *c. Quamò 7. de Divortio*, competens omnino fuerit, ut eò initiatus SS. Trinitatis præcipuum Fidei Christianæ mysterium non explicite duntaxat, sed verbis etiam communibus & in quacunque lingua omnibus a què notis & SS. sacris Personis eòdem modò exprimentibus proponeretur.

Subiectum Baptismi est omnis & solus homo viator nondum baptizatus, etiam parvulus, *c. Majores 3. pr.* ut contra varios Hæreticorum & quorundam etiam Catholicorum errores à S. Synodo Trident. *Sess. 7. can. 12. &c.* est definitum. Quæ Catholica veritas in factis Pæginis præfigurata est Circumcisione, ut Apostolo ad Coloss. *cap. 2. v. 11.* Unde cum ista in veteri Testamento ministrata sit infantibus, *Genes. cap. 17. v. 10. & Levitici cap. 12. v. 3.* hi capaces etiam erunt Baptismi, ut rectè arguit Innocentius III. *pr. cit.* ipsis omnium maximè necessarij ad salutem, juxta illud, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei, Joan. cap. 3. v. 5.* quibus verbis infantes non minus quàm adultos comprehendij, communis sensus est Ecclesiæ PP. ac DD. parvulos sine baptismò realiter susceptò vel Martyriò cælum ingredi posse, passim negantium: & pro ipsis, sine hoc Sacramento decedentibus, sacrificia offerri, eoque sacra humò tumulari non permittentium. Novi etiam Testamenti tabulis docentur, simul baptizatas integras domos seu familias, Actorum *cap. 16. v. 15.* & Corinth. *cap. 1. v. 16.* quæ, cum non adultis duntaxat, sed etiam parvulis constitent, hos quoque Baptismi Lavacro regeneratos,



meratos, ac proinde ejus capaces fuisse, est necesse. Eadem veritas Orthodoxa SS. PP. Testimoniis, Decretis Conciliorum, & omnium, ipsi etiam Ecclesie nascenti proximorum, seculorum constanti usu comprobatur à Bellarmino de *Baptismo cap. 9.* & Gonzalez in *c. Majores cit. pr. n. 4.* & firmatur ratione; quia Sacramentum hoc ad salutem necessarium est omnibus obnoxii peccato Originali, Joan. v. s. cit. quod cum etiam parvuli ipsa in utero conceptione contrahant, capaces etiam erunt Baptismi; ne culpa vis & efficacia major quam gratia sit. Unde

Dubium oritur, an baptizari etiam valeant amentes. Quod generaliter asseritur videtur *can. Qui recedunt, 26. q. 6.* ubi relati Concilii Arausiaci decretum est; *Amentibus quacunq; pietatis sunt conferenda.* In specie, Baptismi lavacro ipsos regenerari posse, suadet ratio; quod ad id non desideretur voluntas suscipientis; cum enim baptizari valeat infans, qui nec iudicium nec voluntatem habet, l. 1. C. de *Falsa moneta*, & furioso comparatur §. *Furiosus 8. Instit. de Inutil. stipul.* cur baptizari nequeat amentis & furiosus? Sed hoc generaliter verum non est: & plurimum refert, an rationis usum, qui eò nunc caret, aliquando habuerit, aut secus; cum eum, qui ratione nunquam usus fuit, illius Sacramenti non minus quam infantem sacri hujus lavacri capacem, *can. Qui recedunt cit.* textus & ratio omnino evincat. Illum etiam, qui aliquando habuit usum rationis: & cum ista uteretur, Baptismum petit, eò ablui etiam amentia & furoris, aut somni postea supervenientis tempore posse, *c. Majores cit. §. Verum, decimum & ratio est;* quod in eadem voluntate perseverare præsumat, S. Thomas 2. 2. q. 80. art. 8.

32. Aliter res se habet cum eo, qui cum sanæ mentis esset, baptismum admittere

revertitur, aut etiam nunquam petiit, vel ejus suscipiendi propositum non habuit; eum enim Baptismum validè non conferri, S. Thomæ 3. p. q. 68. art. 12. & aliorum T. T. certa sententia est; cum talis censetur instar adulti sive utentis ratione: cui ad Baptismi valorem necessarius est voluntarius consensus sive intentio cum suscipiendi, ut cum S. Augustino *Lib. 4. de Baptismo cap. 24.* docet Innocentius *c. cit. §. Item quaritur:* non quidem actualis: sed saltem moraliter perseverans, sive ante existens & non retractata, *citt. Suarez in 3. p. disp. 24. f. 1. concl. 1.* Laiman *cap. 6. n. 2.* & Palao p. 7. n. 2. Ubi

Dubium aliud est de baptismo, suscepto metu. Si, qui hunc patitur, omnino invitus sit, Baptismum ei collatum valore desitui, constans sensus DD. & deciduum est §. *Item quaritur cit. V. Illi verò,* ad ejus valorem in homine rationis usu præsedito requirente consensu. Si verò terroribus & suppliciorum intentatorum metu in Baptismum consensit, pro valido disertè habetur §. *V. cit.* ubi laudatus Papa, illò ita collato, characterem, qui ejus validè suscepti effectus est, imprimi, ait; cum enim coacta voluntas, sit voluntas, l. 52 *Mulier 21. §. 5. ff. Quod metus causa gest.* Baptismus ita susceptus voluntariò & liberò consensu, ad eum requisitò ac sufficiente, non desituetur.

Multò magis, quam adultis metu coactis Sacramentum hoc validè administratur infantibus Infidelium, ad eos Baptismo offerendos coactorum, imò omnino invitorem, ut cum S. Augustino *Epistol. 23.* & S. Thoma 2. 2. q. 10. art. 12. tradunt *citt. Suarez disp. 25. f. 1. concl. 2.* & Vasquez *disp. 155. cap. 6.* Ratio est, quia ad hujus Sacramenti infantibus ministrandi valorem ultra debitam Materiam & Formam atque ministri intentionem nihil desideratur; cum locò consen-

R r r z 165 ne.

ius necessariū in adultis, in infantibus succedat voluntas Christi, ut luculenter docemur usu Ecclesiae, Baptismum ob paternae, maternae voluntatis defectum reiterari nunquam permittentis; quod piè credat parvulos, sicut non proximi parentis, sed solius Adae voluntate Originalem maculam contraxerunt, ita solo secundi Adam sive Christi consensu ab ea expiatis ad vitam aeternam regenerari.

Dubium tertium est, an infidelium infans licitè baptizetur, utroque parente invitò. Alterò, etiam patre invitò, dummodo alter etiam mater velit, illum licitè baptizari, desumitur ex *can. Judaei 28. q. 1. Et c. fin. de Convers. infid.* & ratio est; quia in educandis, retinendisque & regendis liberis, quoad ea, quae ad salutem necessaria sunt, æquale jus est utriusque parentis; ut illam spectans pia unius, ab ea avertentis alterius impiæ voluntati ob specialem Religionis Christianæ & animæ favorem præferatur. *citt. Suarez disp. 25. s. 3. S. Duo, & Laiman cap. 6. n. 10. §. Tertio.*

26. Eosdem, utroque parente invitò, licitè baptizari voluit Scotus in 4. *dist. ult.* & suadet ratio; quòd illi proles suas Baptismo offerre, Divinò & Naturali etiam jure teneantur; ac proinde hunc ipsis ministrare volentes prohibere non valeant, nec patiantur injuriam collatione actuali. Sed non apparet, quàm potestate ejusmodi infantes Baptismo offerri valeant; cum Ecclesiastica infideles non sint subiecti, *c. Gaudemus 8. de Divortis*: Secularis autem tota Politica sit & finem Reipublicæ temporalem spectet. Unde Ordinariè ejusmodi infantibus Baptismum, parentibus invitis, licitè conferri, cum S. Thoma 3. *p. q. 68. art. 10.* & aliis meritò negant *citt. Suarez s. 3. concl. 1. Vasquez cap. 2. à n. 10. Laiman n. 10. concl. 2. & Barbosa in can. Judaeorum, 28. q. 1. n. 2.*

Ratio est; quia parvuli baptizati separandi sunt à consortio parentum infidelium, *can. cit. ne contumeliæ Creatoris* sive perversionis & Apostasiæ manifesto periculo exponantur: parentibus autem auferri nequeunt sine violatione Justitiæ; cum liberorum, præsertim rationis usu adhuc carentium, tutela eoque educandi & regendi potestas parentibus etiam infidelibus competat; ac proinde inviti eâ spoliari non possint.

Dixi, Ordinariè, imprimis propter Turcarum aliorumque Infidelium raptos captos bello aliòve modò redactos in servitutem Christianorum; cum enim tales potestas sit penes dominum, ab illis, invitis parentibus, sicut auferri & dominis aliis donari, sic etiam Baptismo poterunt offerri, *citt. Suarez s. 4. Laiman n. 10. §. Porro.* Secundo, propter eorum modi infantes constitutos in articulo mortis vel perpetuò amentes aut quatuor ratione abstractos à parentibus; ut eos his reddendos, spes non apparet, quorum priores propter extremam eorum necessitatem: posteriores vero Baptismo offerri possunt; quòd id sine parentum injuria fieri queat, *Laiman cit. n. 10. à §. Dixi, & Palao disp. ult. cit. p. 6. à n. 14.*

Sacramentum hoc validè administrari potest etiam à laicis, tam feminis quàm viris: imò etiam à non baptizatis, ut ex *c. 1. ibi A quocunque collatum proficit ad salutem, de Summa Trinit. c. an. a quodam Judaeo cit. can. Miller 18. Et. disp. cit. ex Concil. Florent. §. Primum, & Ecclesiae Traditione & universali consuetudine luculenter constat. Extra casum tamen necessitatis ejus administratio jure Ordinariò competit Episcopis, & peritorum communicationem Presbyteris non quibuscunque, sed Parochis usque similibus curatis. *can. Interdicimus, 16. q. 1. alius ve-**

aliis verò non nisi ex delegatione five commissione Episcopi vel Parochi: qui rationabili, puta suæ absentia causa, eius administrationem etiam solennem Diacono committere possunt, *can. Diaconos 13. dist. 93.* Ex privilegio Sedis Apostolicæ huius Sacramenti administrationem quidam, & nominatim Societatis nostræ Religiosi obtinent pro teris infidelium, fundatas parochias non habentium, ut *Tit. 29. n. 11.* est dictum.

29. Extra eundem necessitatis five moris casum Baptismus sine solennitate & consuetis Ecclesiæ ritibus: uti etiam extra Ecclesias, in quibus sunt fontes Baptismales, in Aulis vel Cameris & privatis domibus administrari graviter prohibetur: & Parochos secus facere præsumentes severè & ad aliorum exemplum castigare Episcopi jubentur *Clemens. Unica, hæc Rubr.* Quâ Constitutione, cum Regum duntaxat ac Principum & secundum Glossam *ibi V. Regum*, aliorum notabilem & Regiæ dignitati comparandum potentatum, sive dominatum habentium Magnatum filii ac nepotes excipiantur: & cum debita solennitate in Aulis baptizari soli permittantur, non satis affequetur, quâ ratione, an per sanctionem

Ecclesiasticarum contemptum vel ignorantiam, Parochi multò inferioris, & tantum non plebeia conditionis parentum prolibus Sacramentum hoc in privatis ædibus ita facile administrent, præsertim; cum *Clement. cit.* transgressores à mortalis peccati reatu præcipui nominis T. T. non excusent apud Vasquez *dist. 147. cap. 5. n. 3.* & Palao *Traçt. 19. dist. unie. p. 9. n. 6.*

Baptismi validè suscepti tres præcipuè: & primus quidem effectus est Gratia remissiva peccati Originalis in parvulis, & in adultis etiam actualis cujuscunque, *can. Firmissimè 2. Sc. dist. 4. de Consec. c. 1. & Clement. Unie. de Summa Trinit. c. Majores 3. pr. hæc Rubric. & Trident. Sess. 5. Decretis de Peccato Origin. can. 5.* Secundus Remissio totius pœnæ aternæ & temporalis, peccatis promerita, ut colligitur ex *cit. can. 5.* & clariùs traditur *Sess. 6. cap. 14. S. Thomas cit. q. 68. art. 5. & q. 69. art. 2.* Tertius, Character indelebilis animæ inherens: ratione cujus Baptismi Sacramentum semel ritè susceptum iterari sine sacrilegio non potest, secundum Trident. *Sess. 7. de Baptismo, can. 12. & tradita Lib. 1. Tit. 16. n. 4.*

30.



## TITVLVS XLIII.

### De Presbytero non Baptizato.

#### SUMMARIUM.

1. Baptismus re ipsa susceptus infantibus:

2. In voto saltem, adultis ad salutem

3. *necessarius,* Januaque est ad cætera Sacramenta:

4. Ut ista sine Fluminis,

5. Imò vero Fluminis Baptismo invalidè suscipiantur.

R I T T 3

6. Et